



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 4. Quomodo tenetur adultera damna compensare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

terno præsumi legitima, & habet etiam in foro interno jus dividendi hæreditatem cum legitimis. Sed quia in hoc dubio manet marito periculum certum damni subeundi, in quod adulteri eum injustè conjecerunt, hi tenentur hanc injuriam pretio æstimabilem refarcire. Et præsumptio illa est solum in gratiam prolis innocentis.

Q. 4. Quomodo tenetur adultera damna compensare?

Resp. I. Adultera tenetur, quantum fieri potest citra famæ jacturam, & vitæ periculum, procurare, ne quid damni maritus, & legitimi hæredes ratione prolis spurix patiantur. *Est communis*, quia si omnibus modis, quibus potest, non caveret damnum marito, & hæredibus, iis inferret injuriam, cum posuerit actionem injustam damni illativam. Hinc si habeat bona propria, tenetur ex illis damna compensare. Si non habeat, tenetur rem familiarem diligentius administrare, de cultu corporis sui & sumptibus solitis propriis detrahere, quantum potest, spectata conditione statûs, valetudine, &c. Item relinquere in morte solis legitimis tantum ex bonis, de quibus liberè disponere potest; & juxta multos religiosum statum spurio suadere, si ad eum idoneus videatur.

Resp. II. Si hisce modis plenè potest damnum compensare, non tenetur revelare crimen

men suum: nam tunc nullum damnum inde sequitur legitimis hæredibus. Si verò non potest, nec judicat prudenter illud impeditum iri, si detegat crimen suum, tunc nec tenetur aperire: quia imprudenter, & frustra aperiret. Imò etiam si judicaret posse averti damna hæredibus, per illam revelationem, non tenetur crimen suum occultum revelare, cum periculo mortis, vel gravis scandali, discordiarum, perpetui odii mariti, infamiae totius familiae, vel propriae saltem publicae, si non sit suspecta, vel alterius mali multò gravioris, quam sit damnum hæredum. *Est communis.* Prob. 1. ex cap. 9. *de Pœnitent.* Ubi Innoc. III. consultus de quadam muliere, quæ partum sibi supposuerat, ne bona mariti ad alios devolverentur, essetne absolvenda, cum crimen suum marito timeret detegere; respondet Pontifex. *Sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari... sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet injungi.* Ergo non tenetur cum tali metu crimen detegere, si enim teneretur, & nollet, non esset capax absolutionis. 2. Quia tunc maritus, & hæredes non sunt rationabiliter invitati; & tunc restitutio censetur moraliter impossibilis.

Si tamen mulier sciret spurium esse valde bonum, ac prudentem, & sibi fidem habitum,

rum, & hæreditari cessurum, nec crimen ejus revelaturum) quod vix & rarissimè præsumendum est) teneretur illud ei detegere: quia infamia nocentis apud unum, aut alterum postponenda est gravissimo innocentium damno, cujus est causa injusta; ut patet ex eo, quod juxta communem liceat grave peccatum alterius occultum aperire tertio, ad avertendum grave damnum ei ab illo altero impendens.

In praxi tamen ordinariè non est obliganda adultera ad crimen suum aperiendum, sive marito, ob gravia mala inde obventura, quæ ordinariè imminent: sive spurio; quia hæc revelatio est ordinariè inutilis ad avertendum damnum: nam Filius juxta communem, non tenetur credere Matri juranti eum esse spurium, nisi id probet certis argumentis, ut si tempore conceptionis, & ante, & post ostendat maritum absentem fuisse, &c. Nam qui nascitur in conjugio legitimo, censetur esse legitimus, nisi contrarium ostendatur.

Not. Quæ dixi de adultera, & Filio spurio, dicenda sunt de Filio supposititio, quem mulier supposuit, ac finxit esse suum, ne hæreditas ad alios transeat, nam injuria his facta est, quæ eodem modo tolli, vel refarciri debet.

CA.